Wiąckowicz Michaëlis: Xenion euxy-
geor Illustri ac Gnoso D. Ioanni de
Olesnica Oleśnicki etc

XENION ΣΩΤΗΡΙΟΝ:

Illustri ac Generoso Domino,

D. IOANNI DE OLESNICA OLESNICKI,

PALATINIDÆ LVBLINENSI.

SVB

Feliciſſimum recens orti Anni initium.

MAGNO AFFECTV VENA LICET IMPARI.

A MICHAELE WIĄCKOWICZ AVSPICATO CONSECRATVM.

Anno reſtauratæ ſalutis humanæ, M. DC. XXXVII.



FVlgida ſydereo Crux hæc ſplendore coruſcat,
Stirpis OLESNICI nobile Stemma tuæ.
Illa tibi ſidei lucem tulit, illa triumphos,
Et diadema ſacratum, & tulit illa pedum.
Cede Cruci Mauors, Erebi procul eſto tyranne,
Sic te eius pietas Relligioq; iubet.

XENION ΣΩΤΗΡΙΟΝ.

OMNIVM pene gentium ac nationum more receptum, & cõſuetudine approbatum eſt, Illuſtris & Generoſe Domine, vt primum illũ diem, quo alicui lucẽ aſpicere contigit, partim amici ſuis amicis, partim ſubditi, illis, quorũ ditionibus laudabilem ſeruiunt ſeruitutẽ, partim vicini ſibi adinuicẽ mutuis gratulationibus exornẽt; & quibus pro facultate ſua poſſunt Xenijs venerentur. Regum autem vel Principũ fortunatiſſimũ vitæ auſpiciũ, non lætiſſimis tantùm onerẽt vocibus & votis, ſed lilijs etiã & roſis venuſtent, triumphis & tripudijs condecorent, dulciſſimis modulis & concentibus ad omnẽ hilaritatẽ coactis honorent; quibuſuis deniq; gratulantis & geſtientis gaudio animi ſignis & teſtimonijs inſtruant & amplificent. Et iure quidẽ. Si enim tam frequens & nobile factum attentius

quis inſpicere, & diligẽtiori trutina pẽſare volue rit facilè in eam veniet ſententiã; applauſus iſtiuſmodi, non rationi tantummodo, quæ parens & iudex cuiuſq; honeſti eſt conſonare; ſed cùm ipſa etiam alma atq; optima rerum omnium matre Natura conuenire. Quid enim obſecro rationi conuenientiùs eſſe poteſt? quàm illi, quem hominẽ tibi ſimilem vides, non internis tantúm affectibus; ſed etiam extra manifeſtis declarare humanitatem indicijs? Quid aptiùs naturæ? quàm ei, diem illam, quâ primum hominem (mortalium genus immortalitati conſecrare cupiens) Solem intueri fecit, acceptam referre? Niſi fortè Thracum aliquis probare velit conſuetudinem, qui natales hominum aſpernari quodammodo; exitus autem illorum inuſitatis celebrare lætitijs conſueuiſſent, adeò, vt felicem illam ac ſerenam lucem, quæ prima naſcentem excepiſſet hominem flebilibus deturparent Nænijs: atram autem & triſtem nimium, quæ ſepulchro extinctum cadauer intruſiſſet, omni exultationis genere honeſtarent. Et quanquam illi hoc ſibi

vſitatum

vſitatum facinus aliqua ſapientiæ larua tegere viderentur; plus tamen (ſi communi totius orbis terrarum iudicio credimus, vanæ alicuius de humanæ naturæ gloria æſtimationis, quàm ſolidæ pietatis habebant. Etenim vt alia prope infinita taceam exempla & teſtimonia. Teſtis eſt vel vnica hæc pro omnibus dies Sacroſancta, quâ primum Deus noſter ex Deo ante omnes æternitates genitus, in tempore tandem, Homo in integerrimæ Virginis auguſtiſſimo vtero diuiniſſimi atq; Sanctiſſimi Spiritus opera factus, iſtius in lucis vſuram prodijt. Quem vniuerſus Orbis terrarum, omnes quotquot cæli terræque ambitu continẽtur creaturæ, non funeſtis aliquibus Næniјs, non funebri ſqualore, non luctu aut lachrymis denigrant; ſed omnibus triumphis; gaudijs, gratulationibus, illuſtrant. En cælum noua, neque vnquam audita voluptate perfuſum, nouum ſydus ad tanti gaudij teſtimonium effundit. En aer innumeris cæleſtium ſpirituum phalangibus collucet, & amœniſſimis perſonat concentibus. En vnda hactenus ori humano inſuauis & inſi-

 pida,no-

pida, nouum induit saporem. En terra, ante, vt sentes & tribulos tantùm gigneret, damnata, media hyeme salutiferum oliuæ liquorem effundit. En bruta etiam animantia, omni rationis sensu carentia, pietatis ac religionis honore fiunt admirabilia, dum quiete & pabulis, ad quæ naturę stimulis coguntur, relictis, ad præsepe illud felicissimum properant, & primum illum ac sanctissimum diem supplici veneratione Deo Homini nato gratulantur: Quid plura? En Augustissima Christi sponsa, gloriosa omnium Christi nati cultorum Mater Ecclesia, quotannis eundem ipsum diem, omni cultu, veneratione, lætitiâ, gaudio & trophęis, celebrat, exornat, atq; õni gratulationis genere instruit. Sed ne illa quidem sola duntaxat cõmuni celebritate tam sanctum sibi diem gratulatur, sed singuli etiam, quos suo materno sinu complectitur fideles, hoc ipso Capite (qui est CHRISTVS IESVS) viuentes, quasi proprijs affluentes voluptatibus, mutuis se afficiunt non votis tantûm, sed etiã muneribus. O diem omni gaudio refertissimam, ô lucem omni

omnĩ ſplẽdore illuſtriorem, ô tempus, quo nullum vnquam nobilius, ſanctius, auguſtius, cælo, terræ, hominibus, Angelis, atque adeò toti orbi terrarum illuxit! Hac igitur in communi omniũ Chriſticolarum lætitiâ, quâ alter alteri vota ſua paſſim nuncupat, ego etiam Illuſtris Domine Generoſæ Tuæ Celſitudini affectus in Te mei teſtimonium offèro. Offero inquam vitam, quæ hodie primum vitam mortalem aſpexit. vt à vita & ſalute Tua omnes ægritudinum arceat iniurias. Offero Fortunam, non illam quam volubilem & cæcam olim ſuperſtitioſa finxit, & venerata eſt antiquitas, ſed eam, quam verę fælicitatis fõtem & originem eſſe credimus & colimus CHRiſtum IESVM. Te vt omni fælicitate & fortuna faciat quàm beatiſſimum: offero deniq; Deum in carne, qui Te bonis omnibus quâ animæ quâ corporis amplificet, ac omnipotenti ſua dextera foueat & complectatur. Neque putes Illuſtris Domine hoc primum eſſe tempus, quo ego Tibi fauſta omnia ac proſpera voueo & gratulor. Hoc enim eſt ſcilicet quo omnes boni Illuſtri cuius pre-

uis precari & verbo & animo consueuerunt. Enimuero cum supremus ille totius bonitatis author, vel vt veriùs dicā, bonitas ipsa inexhausta, seipsum nobis in figura humanitatis nostræ offert, quid aliud vult? nisi vt bonum hoc obuijs vlnis quisq; exceptum suis maximè Mæcenatibus gratuletur. Agebat olim soli Massinissa gloriosissimus Numidarū rex, gratias amplissimas, quod priusquam è vita migrauisset, priusquam funesti cineres os caputque suum oppressissent cōtigerit sibi suo in regno, clarissimum illud Romanæ Reipublicæ lumen videre. Scipionem. Quanto sanè maiores gratiarum actiones nobis par est agere & referre. Soli iustitiæ, quòd seipsum, non vni tantùm alicui regno, non purpurato solùm Principi, non visendis aliquibus palatijs; sed vniuerso orbi terrarum, sed omnibus quicunque ad se properāt hominibus, sed singulis etiam, quantumuis abiectis homuncionibus videndum, palpandum, fruendum, præbuerit. Et quoniam limpidissimum hoc, quod in dies singulos oculos nostros amænissimè recreat. Solis huius corporei lu-

porei lu-

porei lumen, nō amat tenebras, non in occultis cauernis delitescit, non obscuras inter sese recōdit caligines; sed omnes mundi anfractus illustrat, ōnibus collucet terrę in angulis. Singula & omnia quæcunq; vniuersa hęc mundi molles cōplectitur, inuisit & peruestigat. Sanè hoc cæleste lumen de placidissimo sinu æterni Patris missum, multò magis abhorret tenebras, diffundi in omnes cupit, vbiq; lucere, vbiq; conspici, vbiq; fructus facere vberes exoptat. Apud Athenienses peculiaris fuit Ara Misericordię consecrata. Apud Romanos Asyllum, apud Ægyptios Fanum: quæ loca ita veneranda illa antiquitas sacra esse voluerat, vt quicunq; ad ea confugisset, certissimā haberet securitatem. Non illinc alieno ære onustum ad caliginosum trahere carcerē licuit. Non qui per vim aliena rapuisset ad immane trahere supplicium. Non qui se latrociniis, innocentum sanguine turpissimè contaminasset ad funestum rogum, auulsum ducere, & crudelibus flammis scelestum corpus absumere. Non denique vim aliquam; aut vitæ salutisq; vel modi-

 cam fas

cam fas erat iacturam factitare. Ita salutare loca illa quibusuis sontibus dabant vltro præsidium, ab omniq; nece, vi, & internecione tuebantur. Sed quid illud securitatis fuerat, quod distulit tantum supplicij tempus non abstulit. Nos si ad Cunas cælestis huius Regis accurrerimus, non istam quæ ad tempus aliquod quietem pollicetur, sed æternam illam ab omni periculo & discrimine tutam & immunem securitatem consequemur. Nec est difficilis aditus, in propatulo est, omnes ad se inuitat: Non Pergamũ sibi, non Capitolium deligit, non Basilicam, qualem Poetæ Soli exstruxerant; sed vile iumentorum diuersorium, vt non homines modò, sed bruta etiam animantia facillimè ad illum accedere valeant. Hoc igitur tam sancto, tam augusto, tam auspicato tempore, quis adeó durus reperietur, vt non agnoscere, atque adeò ab omni ratione alienus, vt non videre; vel adeó ingratus, vt ex hoc bonitatis Oceano haurire, & benefactoribus suis deferre nollit. Absit, absit, vt & ego tam amens reperiar, vt quid Tibi Illustris Dñe. debeam, intelligere non

gere non possim. Vel tam ingratus, vt omnia fausta non precer & voueam; vel deniq; tam ab omni pietate extorris, vt occasione vltro se offerẽte abutar; Etenim cum omnibus me virtutibus esse ornatum cupiam; tum nihil est quod malim, quam me non ingratũ esse & videri. In Adriani Augusti nummo, ex altera parte ciconia, ex altera vitis racemis ornata fuit. Et prisci Reges in fastigio sceptri ciconiam, in calce hyppotamum præferebant, quo equidem nihil aliud significare voluerunt, nisi vt seipsos gratæ voluntatis erga Deum, à quo Regni habenas acceperunt, commonefacerent; deinde vt omnium mortalium generi, quanti gratia momenti esse debeat commendarent. Præclarè equidem & vt tanta maiestate dignũ fuit. Verùm quamuis eiusmodi incitamenta nulla essent, quamuis hac de re sapiens illa antiquitas tacuisset, ipse tamen memor Celsitudinis Tuæ Illustris, quæ humanitate sua facilè ad se omnium animos allicit, non possum omnia bona omnibus votis non precari. Viue igitur vtinam Illustris Domine, & quam celebri-

 tatem

tatem habent, apud Homerum Vlyſſes, apud Virgilium Æneas, apud Xenophontem Cyrus, apud Curtium Alexander Magnus; hanc eandem Tu apud gratam poſteritatem conſequaris. Adſit Tibi viuacitas Neſtoris; Diuitiæ Crœſi; robur Herculis; Gloria Scipionis; Felicitas Metelli: Sed quid felicitatem Metelli, quid gloriam Scipionis, quid diuitias Cræſi, commemoro: fuerint illi felices, fuerint diuites, fuerint glorioſi, noſtræ diuitiæ, gloria, felicitas CHRISTVS IESVS. Multò nobis ille maiora, multò meliora pollicetur. Ille & Iucunditatem mærentibus, & Emancipationem ſeruientibus, & Sanitatem languentibus, & Vbertatem egentibus, & Satietatem plenam omnis gloriæ atque felicitatis eſurientibus vltrò offert. Intuere Nomen hoc Sacroſanctum:

IESVS

& hæc

& hæc omnia tanquam in lucidissimo speculo apparebunt. Quinq; sunt in hoc Nomine literulæ, quarum prima primum, alterum altera, & quæ sequuntur, cætera quæ dicta sunt repræsentant. Hoc igitur nomine habito, ea omnia quæ in eo continentur, habe. Viue, lætare, omnibus bonis, & omni loco & tempore, sospes & lætus perfruare,

D I X I.

Et quoniam Tuo illustri pectore omnes complexus es virtutes, en & istæ cum suo singulæ præmio gratulabundæ, Tibi in occursum veniunt. En Iustitia Religioni Tuæ auitæ Immortalitatem, Prudentia nobilissimo Sanguini Honorem, Fortitudo Virtuti Gloriam, Temperantia Honori, Obseruantiam consecrant.

IVSTITIA.

*

Sta
Pyra-
mis aui-
tæ Olesnicii,
quam ab imme-
mori æuo, expulsis su-
perstitiosæ gentilitatis tene-
bris, in antiquissima fouit pro-
sapia, pro qua paternum omnibus
opibus celebre solum reliquit, & in Po-
lonia Catholicissima Republica sibi sedem
petiit: pro qua contra impietatem contra illas
immanes Acheronti deuotas animas, contra per-
ditos gentiles, Fortunas, corpus, vitam & salutem ip-
sam, semper animosè opposuit. Eius, inquam, auitæ

RELIGIONI

debitã, nulla temporis obliuione delendam, à nulla in-
iuriosæ vetustatis tinea consumendam, ab omni futura
ætate prædicandam, ab vniuersa, quam ventura diu
ferent sæcula, posteritate canendam, ipsi cælo gratissi-
mam, terræ admirabilem, omni generi hominum imitan-
dam, pia memoria, magno affectu, animo incompara-
bili, totius orbis terrarum oculis, testatam facito

)IMMORTALITATEM.(

8

✠
I
Py-
ramis
ad astra,
culmine tan-
ge cælos: ipsis
testeris superis in-
clyto Olesniciorum,
nulla sordium labe cō-
taminato, nulla cum per-
fidæ Hæreseos notata domo
vel familia copula coniuncto,
semper casto, verecundo, lauda-
bili, glorioso, pio, semperq; Catholico
SANGVINI
talem deberi, qualis ab omni gentium,
nationum, Regnorum, & Imperiorū ordi-
ne, vetustæ olim Spartæ habitus est; qualis
Romanis, Principi olim in toto orbe terrarum
populo, bello, virtute, maiestate, victoriis, tri-
umphis, trophæis, omniq; gloria clarissimo, ab om-
nibus totius mundi angulis, ab omnibus populis, gen-
tibus, nationibus, Regibus, Principibus, sociis, amicis, fæ-
deratis, fieri solebat, muto licet, nunquam tamen
intermorituro testimonio
)HONOREM.(

)FORTITVDO(

Exangue sto saxum. Non ille sum Colossus Rhodius: Non Mausoli Regis piam prædico immortalitatem: Non Herculis trophæa, non fabulosam è Geryonis morte partã victoriam, aut prostrati Leonis exuuias. Sileant fabulæ: Habeat inanis suos iactantia apologos. Olesniciæ ipsi Olympo, ipsique terræ notissimæ, Augustæ

VIRTVTI

sub qua fædissimè prostrata ingemiscit gentilitas, per quam nobilissima Habdanciæ prosapiæ limpidissimè fulget & floret Familia, propter quam Serenissima Polonæ Monarchiæ exultat Aquila, triumphum canit Religio, frendet Erebus. Cui fauet cælum, terra applaudet, tota Nobilitas gloriosum decantat IO. Huic vitruti immortalem, diuinum, quam nulla opprimere nec suffocare poterit fortuna dico

GLORIAM.

TEMPERANTIA.

Nemo me luxuriosus importuna fatiget cupidine. Regia frugalitas, quam luxus, liuidaque voluptas insana temulentia, & atra infamia metuunt, & ab inclytis pedibus

turpem fugam fugiunt
Cælesti, Diuino,
semperq; amplissimo,
immortali, & omnibus sæculis glorioso

HONORI

Domus Olesniciæ, à Patria, Nobilitate, Ciuibus, omni hominū genere, candidam, florentem, lætam: ipsa

læta, florens, candida, nulla corporis sagina onusta, libera animo, oculis, voluntate, debito cultu, solita frugalibus, ac temperantibus veneratione

offero.



OBSERVANTIAM.

IOANNES OLESNICKI,
PALATINIDES LVBLINENSIS.
Anagramma.

PENNIS INCLYTA LAVS DE LILIIS,
NONNE BOAS CÆLIS.

J nstructa doctis vocibus, quid non Clio
O mnisciam gratâ manu tangis chelim;
A ttollis, & super astra Olesnici vetus
N omen, quod hinc à plurimis seclis fama
N epotibus seris celebrandum dedit?
E n prædita immortalibus PENNIS (vorax
S uis vetustas faucibus quas non edet)
O lesnicæ gentis celebris & INCLYTA
L AVS totius mundi volat per angulos.
E nixa quam est pia mater Ecclesia
S uoq; dudum fouit inclyto sinu
N ullis satis celebrata Lechia vocibus.
Illustre nomen Olesnici Prosapia
C elebris in toto orbe quâ sago & togâ,
C ælestis an non æquat ætheris faces
Intende Clio? candidis DE LILIIS.

Petit

Petit ſuam quæ originem! Nempe Ethnicis
A ſordibus prognata, quæ Poloniæ
L ucem attulit? ſanè haud ſecus quam vt aſſolent
A fferre pratis gaudia illa lilia
T andem feris de ſentibus quæ pullulant.
I ntende item Clio ſacrati Præſulis
N ulla tacitura ſunt quod ſera ſæcula
I llud ſerenum in Zbignei & nomen ſacrum
D e lilijs nonne emicuit? vt cùm feræ
E um ſpinæ conſepſerant? nempe efferæ
S uperbi & atri regis illæ furiæ.
L oqui ille verba lilijs vernantia.
V t veritatis tum obrutæ veriſſimus
B onuſq; Myſta inter furentes impetus
L icere ſibi palam aſſerebat identidem.
I taq; locutus patriæ pro commodo
N on melius vt & ipſiſſimam lapſam polo
E diſſerere iam veritatem diceres
N ONNE heus BOAS CÆLIS decus tãtũ inclytum, (&
S ublime Clio? Non? Sile; melos tuum
I am ſuperat? ipſis cælicis notum choris.
S ile: Oleſnicam cælum capit vix gloriam.

MAGNÆ SPEI INFANTVLI
STANISLAI OLESNICKI,
Illustris ac Generosi Domini,
DOMINI IOANNIS
DE OLESNICA
OLESNICKI,
Palatinidæ Lublinensis
FILII.
IN CHRISTI D. NATI CVNAS
PARODIA.

Iaces CHRISTE puer: iaces tenelle
Infans, & roseis genas tenellas
In cunis lachrymis iacens respergis.
Iaces parue puer Stanesilae
In cunis, dia spes OLESNICANÆ
Stirpis: & lachrymis iuuas tenellum
Natum virgineo puellum ab aluo.
Te præsepe tenet leuisque casa,

Immensi

Immensi pater & creator orbis,
Et quem non spatiosa tecta cæli
Valent prendere pro mea salute
Stringit fascia sordidumquè stramen.
Te pallatia splendidæquè cunæ
STANISLAE tenent, decus futurum
Nobilis patriæ. Tuæ futuros
Gloriæ radios solum paternum,
Termini Lechiciquè non prehendent
Quem nunc fascia tam leuis prehendit.
Pastores tibi CHRISTE sacra vota,
Presso poplite conferunt puello.
Melos Angelicum poli Phalanges
Decantant, pecudes citoquè gressu
Linquunt pascua quasq; & obsequellas,
Seu gestant halitu, genu vel vsque
Pergrato referunt tibi puello
Reges purpurei solo ex Eoo
Linquentes soliumq; coronasq;
In tuas veniunt puelle casas,
In casas humiles leuesq; casas.
Non bysso celebres notasque casas,
Vili stramine, sed casas retectas.

Auro fulgidulo ſacroque thure
Mox myrrhaque beant amariore.
Sed te non pecudes, nec & bubulci
Fouent nonque fouet potens Dynaſta.
Cuſtos Angelus eſt tamen tenellum
Te fouet, Deus & fouet tenella
Cingit quem caro pro tua ſalute.
Hic non aurea te beare gaza,
Non odorifero beare thure
Geſtit. Sed Pylij ſenis beare
Annis, magnificis ſed vſque Cræſi
Theſauris, celebri ſed & Metelli
Fortunâ; Patrij ſed & decoris
Gloria, Domus & tuæ perenni
Fama, quæ eſt ſuper euolans Olympum.
Viue parue puer, puer tenelle
Viue magne puer future magne,
Viue delitiæ tui parentis
Viue gloria patriæ futura,
Viue delicium ſpei paternæ.
Viue præſidium Lechi futurum.
Viue delicium Lechi coronæ.

Viue

Viue delicium sacri senatus.
Viue præsidium decusque stirpis
Olesniciadûm, serena fama
Quam semper superas vehit sub arces.



CRACOVIÆ,
In Officina Typ. Matthiæ Andreouieñ.
Anno Domini 1637.